





68

LXIX. EPISTOLA  
ET  
ELEGIA  
CONSOLATORIA,  
AD

Clarissimum & doctissimum Virum

Dn. M. CHRISTOPHO-  
RVM CAESAREM, INCLITAE  
Scholæ Halensis Rectorem, Compa-  
trem suum charissimum,

*Lugentem obitum Filij charissimi, Eximij & doctissimi Iuuenis, Opr.  
artium Magistri, & LL. Imperialium Candidati,*

Dn. CHRISTOPHORI CÆSA-  
RIS, in ipso ætatis flore, & honorum  
cursu extincti.

Anno ætatis XIX. Mense V. Die XXI. placidè in  
Christo, in complexu Parentum amantissi-  
morum, in Salinis, defuncti,


*Die III, Octobris, intra 10. & 11. meridianam, Anno 1598.*

SCRIPTA

à

IOHANNÉ OLEARIO, S. S.,  
Theol. D. Hall. Eccl. Patt. S.

Halæ, excudebat Paulus Gräberus,



C  
S  
  
du  
ma  
gu  
ho  
ra  
lib  
co  
cle  
etu  
nu  
dir  
m



# CLARISSIMO, DOCTIS-

SIMOq; VIRO, Dn. M. CHRISTOPHO-  
RO CAESARI, Rectori huius Scholæ vi-  
gilantissimo, Compatri suo charissimo.

Salutem à Filio Dei, & solatium Spiritus Sancti  
Paracleti, in omnibus aduersis diuinitus pro-  
missum.



Larissime ac doctissime Vir, Com-  
pater charissime, quòd obitum præ-  
maturum Filij tui charissimi M.  
Christophori grauius & acerbè de-  
ploras, luctusq; & lacrymarum vix,  
ac ne vix quidem, potes reperire mo-  
dum: agnosco vulneris acerbicatem, quod mihi tecum  
magna ex parte commune est, ac meritò suspirijs & sin-  
gultibus parentalibus ignosco. Nec enim ipse tantùm  
hoc pignus tui cordis, & baculum senectutis, vt scriptu-  
ra loquitur, amisisti: de quo genere doloris dici solet,  
liberos proficisci ex corde, & cordi esse, seu ad ipsum  
cor pertingere; sed etiam toti huic inclytæ Reip. & Ec-  
clesiæ talis perijt ciuis, qui iam studiorum suorum fru-  
ctus & honores pulcerrimos reportârat, & solenni re-  
nunciatione florentissimæ Lipsensis Academiae in or-  
dinem magistrorum (hoc est, eorum qui ad docendi  
munus vel in Ecclesijs, vel in Scholis, vel ad honestam

aliquam in politicis negotijs functionem atq; prouinciam idonei sunt) ante menses octo relatus erat. Amisisti Filium, proh dolor, quem amplissimus Senatus, quem consultissimi Assessores Archiepiscopalis Dicastrij, quem proceres Salinarum, quem venerandum huius ciuitatis Ministerium Ecclesiasticum & Scholasticum, in virum patriæ salutarem, Patriq; quàm simillimum euasurum sperant: Ideoq; votis, ominibusq; faustissimis, & quibuscunq; possent humanitatis officijs, curriculo studiorum eius vel ornamento, vel adiumento esse, certatim conati fuerant; de cuius profectu insigni vereq; præmaturo, non tantùm publicas gratulationes, sed rem ipsam quoq; manu tenere videbatur. Sed hæc omnia nobis vnius horæ lamentabile fatum euertit, teq; vnà nobiscum grauissima tristitia & ineffabili Cordolio, vt Comici poëtæ verbo vtar, afflixit. Fateor equidem ingenuè, me vix reperire verba, quibus hoc tantum pectoris tui vulnus mitigare saltem & obligare, nedum idonea medicina perfanare queam.

Sed quoniam diuinitùs in eam stationem vnà nobiscum es collocatus, in qua (sicuti de Aarone Sacerdote scriptum) docemur ipsi, & alios docemus, thuribulum sacrosanctum arripere, inter viuos & mortuos erecti stare, cælestemq; opem nobis & alijs implorare, firmamq; fiduciam in Deum Opt. Max. & Redemptorem

rem

rem nostrum, Mortis omnisq; terroris victorem & triumphatorem, collocare: Non dubito, quin per Spiritus Sancti Paracleti gratiam, carnis impatientiae resistere, diuinæq; voluntati ac beneplacito paterno tuam humiliter & oboedienter submittere coneris, & cum sanctissimo Iobo, qui vna & eadem die septem filijs adultis, & tribus filiabus orbatus legitur, dicere: DOMINVS dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Dederat tibi Dominus excellenti ingenio præditum Filium, ostenderat spem raræ cuiusdam eruditionis, & eximie dignitatis, ad quam suo tempore potuisset eluctari; sed flos hic pulcerrimus ita celesti placuit hortulano, vt decerpere illum, quàm fructus producere maluerit, tales inquam, quales nos speraueramus.

Quis autem h'c cum illa sublimi Maiestate pueriliter exoptulandi locus? cum omnes spes & prouidentiae nostræ tam sint incertæ, sicuti Scriptura loquitur, vt ne quidē, quid post aliquot dies, nedum annos euenturum sit, prospiciamus. Vt in alijs, optimè cogitata, pessimè sæpius cadunt: Sic in liberorum educatione videmus, eheu, præstantissimis & innocentissimis etiam viris obtingere, qui nulli curæ, nullis laboribus in recta illorum informatione pepercerant.

A 3

Nimis

Nimis enim ingeniosus est ille fascinator <sup>αυστορέχv</sup>  
vt inescare possit, & dementare illos etiam, qui præcla-  
rè cucurrerant, & insuperabiles crediti fuerant. Itaque  
liber Sapientiæ, Salomoni inscriptus, cap. 4. consola-  
tur omnes, & parentes, & alios, immoderatus obitum  
eorum, qui in flore iuuentutis diem suum obeunt, fe-  
rentes, sex potissimum argumentis.

Primò, quòd licet præmatura morte abripiantur  
iusti, non tamen talibus calamitatibus & ærumnis in-  
voluantur, vt muliebriter eorum caussa sit eiulandum,  
sed potius, velut in portum quietis, ex turbulentis mun-  
di fluctibus & syrtibus delatis, esse gratulandum. De-  
inde quòd piorum iuuentus nihilominus sit honora-  
bilis coràm Deo, quàm grandæva Senectus. Quippe  
cum innocentia morum, canicie capillorum, longè  
sit honorabilior. Tertiò, quòd Deo probentur, & hoc  
modo chari sint pij adolescentes, vt è medio peccato-  
rum & impiorum velocius transferantur, ne vel per-  
uersitas morum, vel prauitas impiorum dogmatum  
contaminet animas impollutas, cum aliàs contagijs  
exemplorum improbitatis, & vitiosis concupiscentijs,  
plurimi quotidie corrumpantur. Quartò, celeriter et-  
iam, inquit, <sup>καλειωτε</sup> & perfectio, doctrinæ nimirum &  
virtutis, contigit illis, qui cum vix ex ephebis excesser-  
runt, moriuntur. Quænam enim maior perfectio con-  
tingere



ingere potest homini, quàm si Deum Creatorem &  
Redemptorem ex Catechismo agnouerit, qui profe-  
tò sapientiam proponit sublimiorem & absolutio-  
em, quàm omnium Philosophorum, Platonis, Xeno-  
phontis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Senecæ vo-  
luminibus continetur? Quintò, etiamsi vulgus homi-  
num id non curet, tamen asserit Sapiens, eos etiam,  
qui cognita cælesti doctrina in fide Filij Dei moriun-  
tur, sanctos & electos Dei, etiam in ætate iuuenili esse,  
super quos sit gratia & misericordia Dei, non minus  
quàm super adultos & seniores. Quandoquidem &  
Propheta Ioël Spiritum sanctum non tantum super  
eos, qui prouectæ sunt ætatis; sed etiam super iuniores,  
filios & filias, effusum iri vaticinatur. Sextò, pios iuue-  
nes, licet iam defunctos, damnare inquit longævita-  
tem hominum sceleratorum, idq; bifariam, primò  
quòd multis annis impij tantum non consequuntur  
pietatis & sapientiæ, quantum pij paucissimis: Deinde,  
quòd testantur præmatura morte, quandoquidem non  
rependuntur illis laborum & studiorum digna in hoc  
mundo brabæa, quod verè sit alia vita post hanc ex-  
pectanda, vbi Christus erit omnium illorum valde  
magna merces, qui vel ob vitæ breuitatem, vel ob ho-  
minum ingratitude non iunt in hoc mundo iustis  
operarum suarum præmijs honorati. Quod enim Ver-  
tes, nefarius fur & sacrilegus, centum & nouem annos  
vixit,

vixit. Dorotheus Arianorum Episcopus centum novendecim annos. Paulus III. Pontifex incestis libidinibus, veneficijs & omni genere flagitiorum cōtaminatissimus octoginta duos annos explevit; cum interea multi sancti viri, iuvenes ac virgines Martyres, Iosias Rex, Ezechias, Romanus, Agnes alijq; plurimi, in ipso ætatis flore, vel naturali vel violēta morte sint extincti, nec longævitatē beluarum istiusmodi veriùs quàm hominum, quos nominavi, attigerint. Hæc sunt ἐνδεύματα futuri iudicij & regni Dei (vt Apostolus ad Thessalonicenses scribit) quo digni cēsehuntur pij iuvenes, nō minùs quàm senes, vt cum omnib. beatis Angelis Deum celebrantes ex Amaranto & Amianto cælesti coronā gloriæ sempiternæ, & purissimam Iusticiæ stolam pro laboribus vniuersis, qui nō fuerunt ipsis in hoc caduco & immundo mundo compensati, consequantur. In illa æterna sacrosanctæ Trinitatis, omnium beatorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & fidelium Christianorum cōiuetudine, reperies etiam, clarissime Dn. Magister, Compater dilecte, Filium tuum, velut præmissum; quem hîc deploras velut amissum. Reperies & videbis immarcesibili coronâ decoratum; quem hîc doles nimis breui tempore Magistrali Tiara lætatum: Speratis etiam doctolibus insignibus fraudatum. Faxit Dominus Iesus, cum nihil in his terris firmum aut stabile sit, omnia fluxa, caduca, fugacia, cum ex collegis, ex auditoribus nostris  
charis-

charissimos, ex ordine Senatorio etiam præcipuos, ex  
Salinarum gubernatoribus non infimos partim ere-  
ptos, partim luctu grauisimo afflictos conspiciamus;  
ex vicinis in hoc Archiepiscopatu & Comitatu Mans-  
feldico Ecclesijs & Scholis, vltra quadraginta viros, do-  
ctrina, pietate & meritis præstantes, cum aliquot milli-  
bus omnium ordinum vtriusq; sexus sublatos deside-  
remus ac meritò deploremus, vt non tantùm hæc, sed  
multò grauiores illas & luctuosiores generis humani  
ruinas, quas Turcica diritas in Hungaria; Pontificia &  
Hispanica crudelitas in Belgio continuare nõ cessat, ita  
consideremus, vt animas nostras ardentibus suspirijs,  
immotaq; fiducia Deo commendemus, ipsiusq; volun-  
tati paternæ tam in vita, quàm in morte sancta obædi-  
entia inseruiamus. Benè vale charissime Domine Com-  
pater, Dominus Iesus dux vitæ te cum charissima con-  
iuge & superstitibus liberis dulcissimis in fasciculo vi-  
uentium (vt scriptura loquitur) perpetuò colligatū ha-  
beat, sub vmbra alarum suarum hoc periculosissimo  
tempore protegat, & vt pupillam oculi sui conseruet,  
ac vulnus hoc graue, præcordijs tuis inflictum, balsamo  
Spiritus Sancti, oleoq; benedictionis & læticiæ, mitiget  
ac sanet. Scriptum 4. Octobris, Anno 1598.

*Tuus ex animo*

Iohannes Olearius D. Compater  
amantis.

B

ELE

ELEGIA CONSOLATORIA,  
AD CLARISSIMUM ET  
DOCTISSIMUM VIRUM Dn. M. CHRIS-  
TOPHORUM CAESAREM, Halensis Scholæ Rectorem, obitu  
Filij ὁμωνύμου, optimarum artium Magistri, & Legum  
Cæsarearum Candidati mœrentem.

*Piè obdormiuit in Domino 3. die Octobris, intra 10. & 11. meridia-  
nam: Anno 1598.*

*Cum vixisset Annos XIX: Menses V: Dies XX I: Horas XII.*

**T**Ené etiam raptò, Iuuenis doctissime, fletus  
Aggerit heu nobis inuida Parca nouos?  
Nec tibi vel pietas, vel ahenea cura laborq;  
Palladis ac Themidos, vim repulêre necis?  
Anxia charorum neq; sollicitudo parentum  
Nec retinere preces te valuêre meæ?  
Nec Schola, nec sanctis Ecclesia nixa querelis,  
Stamina cûrriculi sustinuête tui?  
Andromachi nihil Antidotus, nihil arte Myrepse  
Compositæ stirpes à Mithridate iuuant?  
Viuida vis animi, robur iuuenile, vigorq;  
Masculus, haud Lachésin fila secare vetant?  
Nec Phyliræ nuper tibi partus in Vrbe Tiaras  
Arte Magistralis, Pieridumq; fauor?  
Nec toties habiti doctis in cœtibus abs te  
Conflictus Logici, texta dedêre colo?  
Omnia at heu frustra: Mors sceptrâ ligonibus æquat  
Cum gregibus Reges aspera fata trahunt.  
Seu Musæ, Mulæve fiant, seu præditus arte,  
Seu sit iners, seu sit Croesus, an Irus inops.  
Siue sit ingenium præstans, seu mentis egestas,  
Seu iuuenile tibi, siue senile decus.

Omnia prosternit Mors inuidiosa, rapitque:

Peructus est pactum, quod morieris homo.

**T** Ast rata mortifera Catanances vna medela,

**R** Verba Creatoris si tibi nota Dei.

**obit** Verba Redemptoris si sint tibi cognita **CHRISTE**

Verba Paraleti corde prehensa pio,

Condita ceu verbo sunt corpora nostra perenni,

Sic ea per Verbum libera Mortis erunt.

Ergo tibi quamuis, charissime Compater, Arte

Clarus Apollineâ Filius æger obit;

Nec potuit Medicâ morbi vis lege domari,

Nec Patris aut Matris sedulitate, lues;

Attamen insigni quia Relligione supremi

A teneris coluit iussa fideq; Dei:

Nondubium de morte, vel ipsâ in morte, triumphum

Egit: & euictâ læta trophæa tulit.

Testis es, & coram tecum mœstissima coniunx

Hausit, adorantes numina vera, preces.

Nullus ibi Lethi terror, fiducia Christi

Plurima: mens vitæ prodiga, mortis amans

Hoc quid prodigij? dum robora corpore firma,

Nec dum fracta lue: vitaq; digna moræ.

Quod seros animus tamen haud desiderat annos,

Cura parentalis quod remorata nihil,

Subsidij Medicâ quod nil optatur ab arte,

Cuncta sed exitui ritè parata pio,

Et citò dissolui, citò tecum viuere Christe

Ad superas flagrans ocyus ire domos,

Non ea naturæ sapientia, uon ea Legis:

Non ab Aristotelis dogma vigorq; libris.

Sedibus æthereis tàm feruidus obtigit ardor

Aetheris, & tumidi gloria sprete soli.

Spiritus, ad dextram residens quem Christus Iouæ  
Fudit: inire citam gestit ad astra viam.  
Martyres hoc animo vitam spreuere caducam  
Et properè vultus appetiere Dei.  
Illa Prophetarum, bissex ea gloria vatum,  
Ad necis horrificas nil trepidare minas.  
Aut quibus vberior cælestis anhelitus Auræ  
Est datus, ac mediæ grex stationis habet.  
Naturam licet expellas, tamen ipsa recurrit,  
Ex hominis tolli pectore nescit homo.  
Ast vbi Diuinæ Sophiæ fedet ille Magister  
Intus, & arcanâ pectora luce replet.  
Qui physis hanc finxit, qui nos, qui cuncta creauit,  
Nos simul, & mundum, vincere posse docet.  
Omnia mox illis sordent mundana: supremo  
Omnia sunt soli dedita corda Deo.  
Quod petijt dudum, spernit: quod nuper omissum  
Respuit, hoc toto mentis amore sitit.  
Ille tuo doctor Nato fuit: ille priore  
Ab studio IVRIS, ius dat habere Poli;  
Iura poli potiora soli sunt iure; manebunt  
Iura sacrata poli; sunt peritura, soli.  
Ergò licet poterat Iurisconsultus & Actor  
Causarum celebri Filius esse tuus,  
Si modò lanificæ properantia fila Sorores  
Fatidicâ nollent præsecuisse eolu:  
Atq; Ducum Regumq; graues euoluere casus,  
In q; patrocinijs inclytus esse pijs:  
Attamen in cælis iam splendidiora capessit  
Munia, quisquilijs splendidiora fori.  
Vnde tuæ quamuis columen baculusq; senectæ  
Ereptus, DOMINO sic statuente, fuit.

Teta

Te tamen haud nimum luctu cruciabis acerbo  
Sed placide Patris calica iussa feres.  
Ille tibi dederat natum, nunc abstulit idem:  
Imò beatorum iussit adire choros.  
Quippe nec amissus, tantum præmissus ad illas  
Quas repararat ei morte Redemptor, opes.  
Præmissus velut est, tibi sic reddetur ab illo  
Iudice, qui tumulis excita membradabit.  
Quid DOMINVM contra querimur? Vitæq; Necisq;  
Arbiter est: nobis quæ potiora, videt.  
Ille tibi, natoq; tuo, nuptæq; pudicæ  
Vult benè, quantumvis dura flagella vibret.  
Cernis vt egregios doctæ pietatis Ephebos  
Corrumpat mundi fex malesuada vafri?  
Turpia ne maculent castas contagia mentes,  
Perdatur capitis néve corona pij:  
Eripit innocuas ex colluvione malorum  
Ille, cui soli nota futura, DEV S.  
Sic animi præstans Ionathas, vernantis in ævi  
Flore perit, ne quod tempora crimen alant.  
Gloria Iessiadæ Salomonis quanta fuisset,  
Posterior si non vita secuta foret?  
Ergò Deo par est nos & committere nostros,  
Abdita qui solus, quiq; futura, videt.  
Huic tua crede lubens, charissime Compater, vni  
Omnia: non alibi quippe leuamen erit.  
Quam dedit is plagam, mira sanare medendi  
Arte valet: nobis quamlibet ista latet.  
Exemplum est animi verè patientis IOBVS:  
Pertulerat Tragicis asperiora malis.  
Attamen immanes Deus huic ita leniit ictus,  
Forma cicatricis ne super vlla foret.

**N**aud te destituet Medici miseratio tantū,  
Quem simili studio, speq; fideq; colis.  
**V**ulnere tu sexto gemis, heu : septenus I O B O  
Filius, & natæ tres periëre simul.  
**I**rruit immani domus his illisa fragore :  
Contriuit misera pignora strage decem.  
**Q**uis putet inflictos sanari posse dolores  
Tàm tragicos & potis hos dextra leuare Dei.  
**D**extra leuare Dei potis est quoq; pondera, queis iana  
Deprimeris : non est hæc breuiata manus.  
**F**allor ? an hoc etiam morsuq; valentius omni  
Pectus edit patrium, visceraq; ima fodit ?  
**Q**uod quoniam natus tuus has accessit ad oras,  
Ruperit huc, vitæ stamen, eundo, suæ ?  
**N**am nisi Thyrigetum se deportasset ab Vrbe  
Nutrit vbi Clarias inelyta Iena Decas :  
**N**i tot ab assiduis funestam mortibus Hallam  
Iffet in ardentem sicut ab igne rogam :  
**S**ospes ab allicita vixet contagio : pronæa  
Hanc quia posthabuit, concidit ante diem.  
**S**ic equidem vulgus : Caro talibus ægra querelis  
Se cruciat : venit hinc scrupulus, inde premis.  
**T**u tamen his Sophiæ melioris Mysta, resistes  
Fortiter : augurijs nec capiëre vagis.  
**A**ugurijs nihilo tolerabilia profani  
Somnia sunt vulgi, dum sacra verba negat.  
**C**rede Deum nobis omnes numerasse capillos,  
Vt credas facient cælica dicta fidem.  
**N**emo potest positum ad vitæ spacium addere quicquam  
De vita quicquam demere nemo potest.  
**C**ertus Apostolicine Canon est dogmatis ille ?  
Anné fidem Christi vox meritura Dei ?

Hilsc



Hisce locauerimus patulas modò vocibus aures,  
Dirus inhalârit nulla venena Satan.  
Nisus erit vanus quicquid minitetur Alastor,  
Si modò propitij nos reget Aura Dei.  
Si modò cunctipotens clypei nos proteget vmbra,  
Nulla Tyrannorum tela ferire queant,  
Lucida si biberis infestæ pocla cicutæ,  
Regulus aut Aspîs si tibi virus hiet:  
Si Draco, si Lybicæ catulus tibi fauce Leænæ  
Efferus intentet vulnera dira truci.  
Fidentem Domino tamen, & vestigia verbî  
Sectantem rabies lædere nulla queat.  
Angelicis siquidem defenditur ille Ministris,  
Inq; suis comites hos habet ille vijs.  
Sed via cuius erat, quod in hæc properauit Ienâ  
Possit vbi patrium limen adire, loca?  
Anné vagabundis ita passibus isse putandus,  
Et temerè metas transiisse datas?  
Omen abesto procul: qui tempestate parentes  
Tam miserâ charos visere iussit amor.  
Quiq; libros studijs sibimet gtauioribus aptos  
Consilio voluit conciliare patris.  
Moxq; suis sedem Musis ita figere certam  
Aq; parentali poscere iussa domo.  
Non à calle suo decet hunc decerrasse, putemus.  
Hic amor, hic cunctis anteferendus honor.  
Tramite non alio meliùs pia currere nôrint  
Pignora, quàm nutu si genitoris cant.  
Obsequiosa trahit quem storge & cura parentum  
Fausta vel in vita, vel nece, Fata trahunt.  
Quis dubitet præfaga sui præcordia lethi,  
Ultima complexus verba sitisse tui?

Et quia fatalem sibi iam præsenferat horam,  
 Non alibi potuit dulcius ille mori.  
 Notio naturis generosis mira futuri est:  
 Sæpe etiam tacitum vaticinatur iter.  
 Sed quid ago? multis quid talia dissero? nostras  
 Auditas Superis credimus esse preces.  
 Si tibi, si nato prouectior utilis ætas,  
 Siue Redemptoris laudibus apta foret,  
 Stamina produxisset ei diuturna Creator,  
 Bis duo nec tantum lustra peracta forent:  
 Quamquam illi nondum duo bis lustra acta fuere;  
 Tam spacio (celebri laude sed acta) breui.  
 Nunc ea gesta, Beneplacito quæ visa Supremi  
 Omnibus vnde fuit vitaq; morsq;, Patris,  
 Eripuit iuuenem venientibus ille periculis  
 Innocuum, terræ quæ tremor, ecce, canit.  
 Quæ ferus ad Rhenum, propiusq; Visurgin Iberis  
 Fulminat, ac Turcis horridiora patrat.  
 Quæ tot abortiuis hinc inde minantur inepti  
 Dogmatibus Mystæ, pestiferisq; dolis.  
 Perbreuis hora super: Rosea cum nube reuectus  
 Siderei veniet CHRISTVS ab axe poli.  
**C**HRISTOPHORO Q: tuo sua tumbis abdita membra  
 Restituet, mentis pristina tecta piæ.  
 De tumulo reduces, **Q**VINOS de **C**ÆSARE Reges  
 Ante suum faciet Pontificesq; thronum,  
 Donec id experiare: pia cum coniuge felix  
 Et Nato & Natâ viue valeq; diu.  
 Viue diu; doctâ, Mentis vt, & ora iuuentæ  
 Gnauiter erudias in pietate, Vale.

*Ioannes Olearius S. Theol. D. Compatriotus  
 amantiss. ex vera sympathia.*

A 2490

ULB Halle  
003 485 986


3




sb

kom







68

LXIX. EPISTOLA  
ET  
ELEGIA  
CONSOLATORIA,  
AD

Clarissimum & doctissimum Virum

Dn. M. CHRISTOPHO-  
RVM CAESAREM, INCLITAE  
Scholæ Halensis Rectorem, Compa-  
trem suum charissimum,

*Lugentem obitum Filij charissimi, Eximij & doctissimi Iuuenis, Opp.  
artium Magistri, & LL. Imperialium Candidati,*

Dn. CHRISTOPHORI CÆSA-  
RIS, in ipso atatis flore, & honorum  
*cursum extincti.*

Anno atatis XIX. Mense V. Die XXI. placidè in  
Christo, in complexu Parentum amantissi-  
morum, in Salinis, defuncti,

*Die III. Octobris, intra 10. & 11. meridianam, Anno 1598.*

SCRIPTA

à

IOHANNE OLEARIO, S. S.,  
Theol. D. Hall. Eccl. Patt. S.

Halæ, excudebat Paulus Gräberus,

